

Erasmus Ciolek episcopus Plocensis,

Venerabilis domine frater dilecte. Ex quo ipse nobis saepius scribit de novis Prutenis et aliis scitu dignis, mitemus etiam ei nova gratissima de sancta et necessaria contra Turcos expeditione, ad quam omnes fere domini christianitatis conveniunt, quae omnia ex copia Brevis pontificii, et reverendissimorum dominorum cardinalium plenius intelliget, quod pridie ad nos nuntius sanctissimi domini nostri mittere curavit. Habebit et alias novitates de curia per secretarium pontificis nobis descriptas, ubi clarius cognoscat summum sanctissimi domini nostri desiderium ad eam opportunam contra hostes potentissimos actionem. Deus optime felicitet eam sanctam et apprime necessariam expeditionem, et nos tandem liberet à tot periculis, ut status christianorum, et praesertim regnum hoc ita nutans, ad pristinam fortunam bonam aliquando redeat. Et vos bene valete. In castello Poltoviensi die Mercurii quinta Decembris, anno Domini 1509.

Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page.